

DISPUTATIONIS PRÆPARATORIÆ
QVÆSTIO QVARTA ET QVINTA

DE S. SCRIPTV-
RÆ NECESSITATE ET
CLARITATE,

AD QVAS

In illustri Gymnasio Lavingano,

DIVINA ASSISTENTE GRATIA,

PRÆSIDE

GEORGIO ZEÆMANNNO, SS.

Theol. Doctore & Professore p.

Die quarto Septembris,

RESPONDEBIT

IOHANNES MYLLER GVNDELFINGEN-
sis, alumnus Palatinus.

IMPRESSÆ LAVINGÆ IN TYPOGRA-
phæo Palat. per M. Iacobum VVINTER.
Anno Christi M. DC. V.

Coll. diss. A
239, 18

Diss. A. 239 (18)

2

ILLVSTRIBVS AC GENE-
ROSIS DOMINIS, DN. VVOLF-
GANGO GEORGIO, & DN. BARTOLEMÆO,
fratribus germanis, & DN. PAVLO Patrueli KHEVEN-
HILLERIS ab Aichelberg, L. Baronibus in Landscron &
Werenberg, Dn. Hereditarijs in Hohenosterwitz & Carlsberg, Ar-
chiducatus Carinthiæ Scutiferis hereditarijs, &c. nec non No-
bilissimo Domino VICTORI WELZERO ab
Oberstein, in Hallegg & Lemperg, &c.

DOMINIS SVIS CLEMENTIBVS S.D.P.

EN vobis, Barones inclyti, VICTORq̄ nobilissime, disputationem
hanc, qua Scripturæ Θεοῦ νέως & Necessitatem & Claritatem, dete-
ctâ Lucifugarum versutiâ, necessarijs clarisq̄ argumentis euictam spero.
Cur VOBIS offeram, non est vt operosè explicem. Cùm enim aliter nequi-
uerim, hac saltem lucubratiunculâ tum grati erga vos singulariter mihi
clementes animi symbolum aliquod facere, tum Scholæ nostræ celebri, quâ
nunc integrum penè triennium (Generoso saltem D. PAVLO, qui seriùs
aduenit, excepto) mirificè decoratis, publicitùs, nec (vt reor) ἀκαίρως
gratulari, tum etiam ex nominis vestri splendore noñhil gratiæ huic meæ
opellæ accersere volui. Quam quippe Papistis oppositam quin Parentes
vestri magnificentissimi, & purioris Euangelicæ doctrinæ propugnatores
generosissimi clementer à vobis excepturi, nec non Ephori vestri, quos ho-
noris causa nomino, spectatissimi, D. MARTINVS STVRMIVS, &
D. TOBIAS EISELIVS, viri cùm omni liberali doctrina, tum maxi-
mè Legali scientia eruditissimi, candidè beneuoleq̄, accepturi sint, nullus
dubito. Valete, & in Reipublicæ Ecclesiæque afflittissimæ emolumen-
tum, Duce Iesu, assurgite. Lavina ex Musæo meo D. 20. Augusti,
Anno reparatæ salutis M. D. C. V.



Illustr. VVV. Generositat. & Nobilit.

Subiectissimus

G. Zeæman D.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

DE SS. SCRIPTURÆ
NECESSITATE.

THESIS I.

SCRIPTURAM V. T. necessariam fuisse, ἐκωντι *De origine & ne*
ἀκωντι fatentur aduersarij. Nam cū celestis doctrina *cessitate Scriptur*
 tum ante diluuium à filijs Elohim Genes. 6, 3. & seqq. *ra V.T.*
 tum post diluuium in Semi familia Ios. 24, 2. in pri-
 mis verò post mortem filiorum Israël Ezechie. 20, 8. adulteraretur,
 adeo. j; solà vivæ vocis traditione minimè sincera propagaretur; De-
 us ipse Mosi scriptionem præcipit tūm Exod. 17, 14. tum Exod. 34,
 27. *Edixit Dominus Mosi, Scribe tibi verba hæc, quibus tecum & cum*
Israële pepigi fœdus, & Deut. 27, 2, 3, 4, & 8. Cui mandato Moses
 paruisse legitur Deuter. 31, 9. *Scriptit itaque Moses legem hanc, & tra-*
didit eam Sacerdotibus filijs Levi, &c. & v. 26. liber ille legis authen-
 ticus à latere arcæ federis poni iubetur: quo libro qui solum Deutero-
 nomium comprehensum fuisse putant, nã illi angustiùs quàm par
 est, locum hunc interpretantur. Atque hinc Ose. 8, 12. Deus ea se
 scripsisse ait, quæ à Mose scripta sunt.

II. Quid? quòd ipse Iehoua hanc Verbi sui per literas conservatio-
 nem suo exemplo quasi initiavit, dum digito suo duas testimonij ta-
 bulas scripsit Exod. 31, 18: 32, 16: & 34, 1 & 28. Deute 4, 13:
 9, 10: 10, 1. & seq. easque in arcam reponi iussit Exod. 25, 21: 3
 Reg. 8, 9. Siue igitur Decalogi & reliquorum præceptorum à c. 20.
 usque ad 24. Exodi recitatorum descriptio à Mose omnium primò
 promulgata fuerit (quod verò 4. capitis 24. innuere videtur) siue ist-
 hæc, quæ ibi leguntur, post scriptas demum à Deo tabulas gesta, & per
 ὑπερολογίαν à Mose narrata sint, certum est, à Deo ipso hanc verbi
 cœlestis per Scripturam propagandi rationem soleñiter consecratam
 & confirmatam esse

III. Sed & alijs quibusdam Prophetis explicitè legitur à Deo man-
 data fuisse scriptio, veluti Esaie cap. 8, 1. *Sume tibi volumen grande,*
& scribe in eo stylo hominis, &c. & c. 30, 8. vbi vaticinium suum tabu-
 læ

4 QVÆST. IV. DE NECESSITATE

læ inscribere, & in libro diligenter exarare iubetur. Sic & Ieremias ex mandato Dei ca. 30, 2: & 36, 2, omnia verba, quæ Deus ad ipsum locutus fuerat, in libro scripsisse narratur: similiter c. 45, 1: & 51, 60. Et memorabile est, quòd c. 36. fit mentio 1. Voluminis, h. e. libri plicatilis seu volubilis, qui in cylindrum circa lignum aliquod, quod vmbilicum vocabant, conuoluebatur: 2. plurium paginarum seu ianuarum, & 3. atramenti. De Ezechiele vide c. 43, 11. de Daniele c. 12, 4. de Habacuc c. 2, 2. vbi visionem suam perspicuè in tabulis scribere iubetur, vt percurrat lecturus eam. Ex quo loco, vt & Esa. 30, 8. & Psal. 102, 19. constat, conciones Propheticas bis describi fuisse solitas, nimirum & publicè super tabulas ante templum, vt ab omnibus pellegi possent, & coniunctim in voluminibus. Quimos hodieque circa Programmata, quæ sic vocant, in scholis obseruatur. Prophetarum porro *αὐτόγραφα* ad latus arcæ fœderis itidem fuisse reposita, communis est doctorum opinatio, quam confirmare licet ex Ios. 24, 26. vbi Iosua verba sua in volumine Legis scripsisse, & 1. Reg. 10, 25. vbi Samuel legem regni in libro exarasse, & coram Domino reposuisse dicitur, nec non ex Esa. 30, 8. & Ezech. 13, 9.

De Scriptura N.T.

I. Quòd Apostoli diuinum scribendi mandatum habuerint.

Probat 1. à mandato speciali.

2. à mandato generali.

IV. N. T. Scripturam similiter à Spiritu S. & inspiratam, & scribi iussam, his rationibus ostenditur:

1. Expressum mandatum legitur Apoc. 1, 11 & 19: 2, 1 & seq. 14, 13: 19, 9: & 21, 5. vbi Iohannes non arcanas modò visiones, vt Bellarmi. li. 4. de verbo Dei c. 3. col. 206. Delirat, sed & doctrinam Euangelij, morumq; præcepta catholica scribere iubetur. Quòd si Iohanni scriptio præcepta fuit, quis dubitet, quin Apostolis quoque reliquis præcepta fuerit?

V. Arg. 2. Matth. 28, 19 & 20. & Marc. 16, 15. Apostoli generatim omnes (omnium locorum temporumque) *ἄγγελοι πάντων ἐθνῶν* & Euangelium omni creaturæ prædicare iubentur, ad eoque authentici Ecclesiæ Catholicæ Doctores constituuntur. Hoc verò munus semper & vbique viuâ voce exequi minimè potuerunt, nec hodiè possunt. Proinde sub generali mandato de Prædicando vterque docendi modus tam *αὐτόγραφο* quàm *αὐτόφωνο*, & institutio tam literaria quàm vocalis comprehenditur. Atque hinc Iohannes generale hoc mandatum scriptione exequi disertè iussus est (vt vidimus) totaque Ecclesia tam super Apostolorum quàm Prophetarum funda-

fundamentum ædificata est Ephes. 2, 20. (quod ratione Scripturæ, quâ Ecclesiæ omnium ætatum & temporum inservierunt, potissimum asseritur) imò totus mundus secundum Apostolorum doctrinam iudicandus dicitur Matth. 19, 28. Rom. 2, 16.

VI. 3. Argument. Si Apostolorum Scriptura est θεόπνευστος, 3. Quia Scriptura ductu influq̄ue Spiritus S. ab Apostolis exarata sit necessum est. At est θεόπνευστος. E. *ra Apostolorum est θεόπνευστος.*

Sequela Maioris patet. Nam Scriptura θεόπνευστος eo ipso, quod est, & quatenus talis est, diuinitus dictata & dictando effecta, adeoque Opus Dei est. Iam verò quod Deus facit, id faciendo mandat; & illud magis est opus Dei, quod per hominem facit, quàm quod homini præcipit. Sicut ergò olim Prophetis inspiratio fuit iussio 2. Pet. 1, 21, ita quoque Apostolis eadem suggestio (quam Bellarmi. l. 4. de verbo Dei c. 3. alijque ex aduersarijs concedunt) fuit præceptio. (Faceſſat hîc Bellarminiana inter imperium Dei internum, & præceptum Dei propriè dictum distinctiuncula) Adde quòd Apostolis, qui ante acceptum Spiritum S. ἀγράμματοι fuere καὶ ἰδιῶται, Act. 4, 13, scribendi facultas ἀμέζως collata fuit.

Assumptum confirmatur ex 2. Timo. 3, 16. vbi πᾶσαι γραφαί, per quam totum librorum Canonicorum Vet. & Noui Test. tum ex-tantium systema intelligitur, θεόπνευστος appellatur.

VII. Argum. 4. Quicquid Apostoli approbante Spiritu S. fecerunt, id non absque Dei mandato fecerunt. At Apostoli suum scripti-
onis officium Spiritu S. approbante, communibus suffragijs re dili-
genter deliberata, exorsi sunt, vt patet ex epistola synodica Acto. 15. *A Spiritus S. ap-
probatione.*
Visum est Spiritui S. & nobis, &c. E.

VIII. Argum. 5. Si Apostoli scribendi mandatum non habue-
runt, à πειρησίας aut ἁγῶν πειρασίας vicio excusari nullo modo
poterunt.

IX. Argum. 6. à testimonijs Patrum.
Iren. l. 3. c. 1. Apostoli Euangelium, quod tunc præconiauerunt,
postea per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum
& columnam fidei nostræ futurum.

Augustin. l. 1. de consens. Euangelist. c. vlt. tom. 4. Christus o-
mnibus discipulis suis per hominem, quem assumpsit, tanquam membrum
sui corporis caput est. Itaque cum illi scripserunt, quæ ille ostendit & di-

xit, nequaquam dicendum est, quòd ipse non scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quòd dictante capite cognouerunt. Quicquid enim ille de suis dictis & factis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus IMPERAVIT, &c.

Hinc Athana. in epist. ad Liberium p. 83. Christus, inquit *Vetus & N. T. composuit*. Et Gregor. epist. lib. 4. epist. 84. *Scripturas epistolam Dei creatoris ad creaturam appellat.*

II. De scriptu-

re N. T. necessita

te, quæ pbatur

1. à diuina iussi-

one.

2. à doctrinæ &

historiæ Christi-

anæ ppagatione

X Ex prima hac thesi principali deducitur altera, quòd Apostolorum scriptio summoperè necessaria fuerit

XI. Necessaria enim fuit PRIMVM ex præcepto Dei, cui obsequi Apostolos necessum fuit. Deinde ad faciendam historiæ fideique

Christianæ certitudinem: neutra enim sine Scripturæ adminiculo sola viuæ vocis traditione, ad omnes omnium seculorum gentes incor-

rupta propagari potuisset: 1. propter imbecillitatem humanæ memoriæ, quæ in his mundi sæculis valdè fragilis est & labilis, dolio-

que pertuso non absimilis: 2. propter mysteriorum Euangelij sublimitatem, quæ quòd altiora sunt, eò difficilius hominum memoriæ in-

hærent, faciliusque effluunt: 3. propter rerum, quarum cognitio Christianis necessaria est, multitudinem: 4. propter maiorem Eccle-

sia N. Testamenti amplitudinem: denique propter extraordinaria-

rum patefactionum defectum. Adde quòd primis illis florentissimis mundi temporibus ante & post diluuium incerta fuit verbi per tra-

XII. Hunc finem, puta puritatis doctrinæ ἀσφάλειαν & πλη-

ροφορίαν Lucas in exordio Euangelij sui præfixum sibi fuisse scribit c.

1. v. 3 & 4. Similiter Iohannes in Euangelio c. 20, ve. 31: & c. 21.

v. 24. & in epistola canonica c. 1. v. 3 & 4: & c. 2. v. 1, 12, & seq.

Paulus item Coloss. 2, 2. Philipp. 3, 1. & 1. Timoth. 3, 14 & 15.

Quid? quòd omnes Apostoli Act. 15. solam viuæ vocis traditionem ad doctrinæ certitudinem non sufficere iudicarunt. Hac de re

Augustin. in Psal. 144. tomo 8. col. 1675. sic loquitur: *Quia generatio vadit, & generatio venit, & sic transcurrunt ista secula cedentibus succedentibusq; mortalibus: Scriptura Dei manere debuit, vt quoddam chirographum Dei, quod omnes transeuntes legerent.*

XIII. Porrò quàm facilè, sublato scriptioni adminiculo, historiæ doctrinæque Christianæ puritas adulteretur, duo cum primis ἀξιόλογα exempla ostendunt; prius quidem Apostolorum, à quibus

ora-

oratio Christi *ἰωαννῆ* (*si velim Iohannem manere donec veniam, quid ad te?*) Ioh 21, 23.) vixdum prolata, ilicò depravata, & in categoricam enunciationem transformata est, adeoque fabularum origo esse potuisset. nisi Iohannes ipse suo illam calamo à corruptelis vindicasset. Posterius exemplum est Papiæ episcopi Hierapolitani, qui quamvis Apostolorum temporibus vicinus, & quæ per viua vocis traditionem ab Apostolorum familiaribus acceperat, religiosè conservare conatus esset, tamen quia (somnia Papistico fascinatus) opinabatur, se ex libris non tantum utilitatis, quantum ex viua voce relaturum, factum est, ut *ξέναις διδασκαλίαις καὶ μυθικώτερον ἢ παράδοξά τινα*, & inter hæc etiam Chiliastarum hæresin, ὡς ἐκ τῶν *ῥημάτων ἀγράφων* arriperet multosque viros Ecclesiasticos deciperet. teste Eusebio libro 3. historia Eccles. c. 36.

XIV. Tertiò necessaria fuit Apostolorum scriptio propter infestum Diaboli & hæreticorum in adulteranda cœlesti veritate studium; cuius documenta aliquàm multa edidère, viuentibus adhuc Apostolis, sub quorum nomine *ψευδῶν ἰερογρῆμα* quædam, spuriasque traditiunculas Ecclesiis obtruserunt, vti patet ex Actor. 15, 24 & 2. Thessalon. 2, 2. Quam ob causam Paulus peculiari signo epistolas suas notare, vel sua manu exarare coactus est, 2. Thessal. 3, 17. & Galat. 6, 10. ut supposititiæ à veris dignosci possent.

3. ab hæreticorum petulantia.

XV. Quòd autem propter hæreticos scripserint Apostoli, patet exemplo Ecclesiarum. ad quas Pauli extant literæ. plerarumque cū primis verò Corinthiacæ, in qua non diu sine scripto *ὀρθοδοξία* viguit, & Galaticæ, quæ traditionum à reliquis Apostolis acceptarum prætextu decepta fuit. Vide etiam Coloss. 2, 8. 1. Timo. 4, 1. & seq. 2. Pet. 3, 1 & seq. 1. Ioha 2, 26. Sic Iohannem constat ab omnibus penè tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus **COACTVM** Euangelium suum Ebionitarum (qui omnes Pauli epistolas repudiabant) & Cerinthi (qui inimicus fuit Scripturis Dei) hæresibus opposuisse, teste Hieronymo in proem. super Matth. como 9. cui suffragatur Eusebius l. 3. histo. c. 21. vbi *Matthæum & Iohannem necessitate ad scribendum adactos* asserit.

XVI. Neque verò per ordinarium ministerium, multò minùs per sedem Romanam, à qua præcipuum iminebat depravationis periculum sed, vt dixi scriptio Apostolica præsidio, isthæc doctrinæ corruptio, & effrenis mentiendi libido evitari reprimiq; poterat.

XXVII. Quar-

8. QVÆST. IV. DE NECESSITATE

§. à Canonis stabilitate.

XVII. Quartò necessaria fuit Apostolorum scriptio, ut extaret certus canon, normaque invariabilis, secundum quam Euangelij prædicatio ad finem vsque mundi confirmaretur, Roma 12, 6. imò secundum quam mundus ipse tandem iudicaretur. Iohann. 12, 48. Dan. 7, 10. Apocal. 20, 12. adeoque ut perpetuus doctrinæ in Ecclesia consensus retineretur.

§. à fidei & salutis conseruatione

XVIII. Denique necessaria nobis sunt Apostolorum (ut & Prophetarum) Scripturæ, ad omnis generis errores præcauendos, & fidem vitamque æternam consequendam, Matth. 22, 29. *Erratis nescientes Scripturas.* Ioha. 5, 39: & 20, 31. Luc. 16, 29. 2. Petr. 1, 19. Refer huc encomia Scripturæ ex Psalm. 119. ex quibus eiusdem necessitas patescit. Quæ omnia diuinè complexus est Paulus 2. Timo. 3, 16 & 17. *Tota Scriptura diuinitus (est) inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* Plura qui desiderat, aureum magni D. D. Chemnitij examen pellegat, in quo causæ singulæ ex ipsis Apostolorum scriptis, Patrumque monumentis latiùs deducuntur. Videatur quoque Chrysoptom. hom. 1. in Matth. Niceph. l. 2. c. 15. & B. Hunn. in loco de Ecclesiâ.

III. De fine Scripturæ Apostolicæ.

XIX. Ex dictis emergit tertia propositio nostra principalis, quòd Apostoli ex instituto, grauissimis causis impulsì, in vsum Ecclesiæ Catholicæ scripserint, ut scilicet ipsorum scripta essent fidei Canon, fundamentum & columna omnibus omnium ætatum Ecclesijs.

XX. Quemadmodum enim librorum Mosis & Prophetarum, qui sigillatim populo Hebræo scripti sunt, Deuter. 4, 5 & sequ. Psalm. 103, 7: & 147, 19 & 20. usus ad Catholicam omnium temporum Ecclesiam sese profert, teste Paulo Rom. 15, 4. & 1. Corin. 10, 11: ita quoque scripta N. T. quantumuis particularibus Ecclesijs maximam partem inscripta, ad Catholicam Ecclesiam pertinent.

XXI. Nam 1. tametsi circumstantiarum quarundam ratione Apostolorum epistolæ ad Ecclesias quasdam sigillatim pertinent, ipsi tamen casus & quæstiones in ijs decisæ ratione generis norma sunt gubernationis cunctis Ecclesijs in casibus consimilibus. 2. Ipsorum dogmatum tractatio, & generales *ἡ ἀναμφισβητήτως* vniuersali Ecclesiæ præscriptæ sunt. 3. Paulus ipse sæpiusculè ostendit, se sub particularium Ecclesiarum nomine scribere TOTI Ecclesiæ: Nam priorem ad Corinthios inscribit *omnibus, qui inuocant nomen Christi,*

Christi,

*Christi, QUOVIS LOCO, 1. Corint. 1, 2: epistolam ad Colossenses in Laodicensium quoque Ecclesia Coloss. 4, 16. & priorem ad Thessalo. Omnibus fratribus sanctis legi vult, 1. Thessalonicen. 5, 27. Idem per $\alpha\theta\omega\omega\alpha\iota\eta\sigma\iota\upsilon$ 1. Thessal. 4, 17. Nos, inquit, viui, qui reliqui erimus, rapiemur simul, &c. Hinc Petrus Pauli epistolas Christianis omnibus communes facit 2. Pet. 3, 16. Idem deniq; euincunt vaticinia, quæ in Apostolorum epistolis de nouissimorum temporum statu occurrunt, veluti 2. Thessal. 2. 1. Timot. 4. 2. Timot. 3. 2. Pet. 2. 1. Iohann. 2. Pertinet huc visio Ezechielica quatuor animalium, Euangelij curram ad omnes orbis plagas circumferentium, quam de quatuor Euangelistis exponunt Athanas. in Synop. tom 4. p. 141. Hieron. proœm. in Matth. Augustin. l. 2. de doctr. Christ. c. 10. Ambr. præfat. in Luc. tomo 5. quibus subscribit Bellarminus li. 1. de verbo Dei c. 6 col. 21. D cuius verba propter scurriles Bauarorum risus adscribere placet: *Et sanè, inquit Bellarminus, quid significare credenda sunt quatuor illa animantia, quæ Ezechieli & Iohanni diuinitus ostensa sunt, Homo, Leo, Vitulus, Aquila, nisi quatuor Euangelistas, Matthæum, Marcum, Lucam & Iohannem; id enim non solum literis & vocibus populi vbiq; testantur, sed ipsi etiam parietes signis & imaginibus clamant.**

XXII. Sequuntur nunc Pontificiæ Antitheses.

I. Apostoli sine Dei mandato scripserunt.

Eccius in Enchirid. tit. 1. de Eccles. *Christus non præcepit discipulis & Apostolis ad scribendum: non dixit, euntes scribite, sed euntes prædicate Euangelium.*

Petrus à Soto in schol. Confess. Wirtenb. *Christus nunquam præcepit Apostolis vt scriberent, sed prædicate, inquit.*

Bellarminus l. 4. de verbo Dei c. 3. col. 206. *C Falsum est, Deum mandasse Apostolis, vt scriberent. Legimus enim Matth. vlt. mandatum, vt prædicarent Euangelion; vt autem scriberent, nusquam legimus.*

$\alpha\upsilon\omega\upsilon\upsilon\mu$ Pistorij defensor contra Menzer. *Falsum est, Dei iussu relata in literas S. Scripturam.*

XXIII. Secunda Antithesis. Nulla necessitas Apostolos ad scribendum adigit, cum doctrinæ puritas sine scripto verbo per traditiones conseruari possit, & N. T. præcipuè in corde scribi debeat. Propterea, inquiunt, Apostolorum scripta non sunt de Catholicæ Ecclesiæ necessitate, sed vtilitate tantum, & vt ipsi loquuntur, ad Bene

B

esse

esse Ecclesiæ pertinent. Quod non tam peruersè, quàm ineptè ex Ieremix capite 3. 1. conficere satagunt.

Nico. Cusan. epist. 2. ad Boëm. *Scripturas tantùm de bene esse regiminis Ecclesiæ, nequaquam autem de essentia eius existere posse ait.*

Andrad. l. 2. defens. Trident. *Non est ea N. T. vis & natura, vt literarum subsidia necessariò exigat.*

Petrus à Soto in Schol. Confess. Wirtenberg. *Indignè sentit de animis hominum, de Ecclesiæ firmitate, de operatione Spiritus S. qui non putat solidiùs & firmiùs teneri posse, quæ cordibus mandantur fidelium, quàm quæ membranis aut tabulis. Viden, vt Aſotici ad laceros & vereres nos remittant pañiculos, de quibus festiuè Iohan. Brent. in Prolegom de authorit. Script. tomo 8. p. 200.*

Gregor. de Valent. in Analys. li. 8. ca. 6. *Ad doctrinæ puritatem commodissimè conseruandam oportuit Apostolos quædam tantummodò viua voce tradere.*

Wilh. Lin. de opt. Scr. interpr. gen. f. 9. *Saluo Traditionis fundamento: nihil noxæ inferatur Ecclesiæ, quantumuis Scripturæ aboleantur.*

Bellarmin loco dicto: *Dicimus N. T. præcipuè in corde scribi debere, nec necessariò exigere, vt scribatur in libris.* Vide ibid. c. 4. p. 210. D.

Pistorius im Wegweiser ait: *Ecclesiam sine scripto verbo facile puram conseruari & regi posse.*

Hyperaspistes eiusdem in Resp. ad th. 48. disputat. primæ Menzerianæ contendit. *posse nos, tametsi Apostoli nullas Scripturas reliquissent, ex traditionum obsequio, & ad Romanam Ecclesiam recursu, scire omnia ad vitam æternam necessaria.* Et fals. 788. *Tametsi nullum librum Ecclesia haberet, tamen non erraret, veritatis totius Christianæ sine libro conscia.* & fals. 793. ait, *posse sine libris & sine vlllo librorum canone esse Ecclesiam.* Sic scilicet ex Romanensi in mente absque traditionibus Scriptura imperfecta est, traditiones verò absque scriptura perfectæ sunt. De quo plura suo loco.

Coſter. in Enchir. c. 1. p. 43. *Quærenda est alia Scriptura, quam manu sua Christus exarauit, qui Ecclesiam suam nec à chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit, sed cum spiritualem constitueret Ecclesiam, vsus est sublimiori charactere, scribens digito Dei in corde Ecclesiæ. Est autem Scriptura hæc Ecclesiæ Catholicæ consensus. Huius scripturæ præstantia multis partibus superat scripturas, quas nobis in membranis reliquerunt Apostoli.* Cetera taceo, quæ
vix

vix scio ab homine, an incarnato diabolo profecta sint; contumeliosiora certè in Scripturam vix vnquam vsquam audita sunt.

XXIV. Tertia Antithesis. Non ideò scripserunt Apostoli, vt eorum scripta fidei præessent, aut adæquata eiuſdem norma essent, sed pro nata occasione, necessitate, cursu, statu & gubernatione Ecclesiarum particularium.

Bellarmin. I. dicto c. 12. col. 254. D. *Scripturæ finis proprius & præcipuus non fuit, vt esset regula fidei, sed vt esset commonitorium quoddam vtile ad conseruandam doctrinam ex prædicatione acceptam.*

Idem ca. 4. col. 212. C. ait, Apostolos *Obiter tantùm in epistolis (ex occasione aliqua scriptis) disputationes de dogmatibus tractare.*

Coster. in Enchir. p. 44. & 45. *Scripturæ non ob id datæ (sunt) vt formulam exactam & omnibus numeris absolutam nobis præscribant fidei, administrationis Sacramentorum, aliorumq; in Republica Christiana necessariorum; sed occasione quadam vel ad Iudæos & hæreticos confutandos, vel ad abusus quosdam tollendos.*

P O R I S M A T A.

1. Scriptio in N. T. MAGIS quam in V. T. fuit necessaria.
2. Meritò à B. Chemnitio hoc opinionis portentum Papicolis tribuitur, quòd doceant, Deum constituisse, vt N. T. non scriberetur, adeoque Apostolos præter Dei institutum, & contra N. T. naturam scripsisse, vtur versipellis Bellarminus hoc perneget lib. 4. ca. 3. qui tamen ad dictum Ieremiæ 31. in Romanenses validissimè retortur ne gry qui idem respondere potuit. (cur.
3. Nihil obstat scriptio, quò minus verbum Dei cordi inscribatur.
4. Falsissimum est quòd quæ doctrina præcipuè cordi inscribenda est, libris inscribi non debeat.
5. Quæ viua voce docentur, non sunt tam firma, quàm quæ scribuntur. Ideò disciplinarum quarumcunque præceptiones ab authoribus conscribi certis voluminibus solent. Vnde Hieronymus in præfatione in Threnos: *doctrinam librorum non prius cessaturam asserit, quàm cum Christo & similes Angelis fuerimus.*
6. Malunt Papicolæ *μισόγραφοι* diuinis carere Scripturis, quàm Papæ traditionibus.

B 2

QVÆ-

12

QVÆSTIO V. DE CLARITATE

S. SCRIPTURÆ.

THES. I.

Determinatio
τὸ κενομένον
κατ' ἄρσιν καὶ
θέσιν.

Cur Deus quæ-
dam in Scriptu-
ris obscura esse
voluerit.

Non quæritur 1. An TOTA Scriptura vndiquaque (quoad sin-
gula loca) tam lucida sit, vt à quouis intelligi queat, nullaque
prorsus interpretatione indigeat; nec 2. hoc controuertitur,
num Dogmata S. Literis tradita ex æquo Omnibus ita obuia & peruia
sint, vt nulla explicatione verbi que Ministerio opus sit; sed de luce
Scripturæ ingenitâ, de que perpetuo eius tenore, consensu & concen-
tu, in fidei vitæ que dogmatis ad salutem necessarijs quæstio est.

II. MVLTa in Scripturis ob phrasin & mysteriorum profundita-
tem obscura esse loca vtrinque constat. Quorum consideratio tum ad
preces & lectiõnis diligentiam, internam que cogitationum sanctita-
tem nos excitare, tum Scripturæ fastidium fastum que congenitum
eximere nobis debet. Quâ de re Augustinus l. 2. de doctr. Christ. c. 6.
Obscurè QVÆDAM (inquit, non Omnia, nec Pleraque, vt fin-
git Hosius l. 3. de auctor. Script. p: 515.) *dicta densissimam caliginem*
obducunt. Quod totum prouisum diuinitus esse non dubito ad edomandam
labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facile inuesti-
gata plerumque vilescunt. Idem præfat. in Psa. 140. *Sunt in Scriptu-*
ris sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant; ad
hoc quærentur, vt exerceant, ad hoc aperiuntur, vt pascant. De verb.
Dom. secund. Matth. ferm. 11. col. 41. tom. 10. *In omni copiâ Scri-*
pturarum sanctarum, pascimur apertis, exercemur obscuris. Illic fames
pellitur, hic fastidium. Et tract. 45. in Iohan. col. 331. tomo 9. *Pa-*
scit manifestis, exercet occultis. Sic Gregorius l. 7. regist. epist. ad Duc.
Boëmor. *Non immeritò S. Scripturam omnipotenti Deo placuit Quibus-*
dam locis esse occultam: ne si ad liquidum cunctis pateret, fortè vilesceret,
& pateret despectui, &c. Vide eund. princip. homil. 6. in Ezech. Cle-
ment. Alexandr. l. 6. Strom. Irene. l. 2. c. 47. Hieron. præfat. Com-
mentar. in Ephes. & Chrysost. in Matth. hom. 44. vbi, *Non sunt, in-*
quit, Scripture clausæ, vt nullo modo inueniantur, sed obscuræ, vt cum
labore inueniantur. Ratio autem obscuritatis multiplex est. Primum quia
Deus alios voluit esse Doctores, alios discipulos. Deinde obscura est noti-
tia veritatis, ne non tam utilis inueniatur, quàm contemptibilis.

Quib. scriptura
sit obscura.

III. Non renatis, excæcatis & hæreticis Scripturam obscuram es-
se, ipse Spiritus sanctus asserit Esai, 28, 11; & 29, 10 & seqq. Ose.
14, 10.

14. 10. Sap. 5, 6 & 7. Matth. 11, 25. 2. Corinth. 3, 11. & seqq. & 4, 3 & 4. 2. Theff. 2, 10 & 11: quibus in locis obscuritatis causa (*αἰσαφείας ἔγκλημα*, ut loquitur Oecumen. in 2. Corinth. 4.) in Diabolum & ipsos met homines rejicitur. De hæreticis Scripturam lacerantib⁹, & ad sensus suos detorquentibus vide August. cont. Adim. Manic. disc. c. 12. col. 186. to. 6. & 12 de nup. & conc. c. 31. to. 7.

IV. Cadere tamen in Non renato s potest literæ noticia, ut patet ex Matth. 7, 22. 1. Corint 8, 1: & 13, 2. exemplo item Iudæ proditoris & hæreticorum, qui sæpè *περὶ λέξεως καὶ φράσεως* non male differunt.

V. Ad saluificam verò Scripturæ notitiam interno Spiritûs S. lumine opus est: nam *animalis homo non capit ea, quæ sunt Spiritûs Dei*, 1. Corinth. 2, 14; imò quoad *πληροφωρίαν* & internam in animis nostris obfignationem nullum iora sine Spiritûs sancti luce perspicuum est. Vide Lutheri librum de seruo arbitrio.

VI. Porrò quæcunque ad salutem nostram & pietatis exercitia *Sententia nostra* scitu necessaria sunt, ea tam perspicuè Scriptura proponit, ut ipsa sibi natio lumine ad reddendum Spiritûs sancti sensum sufficiat, adeoq; cum fructu à Quouis pio & attento Lectore evolui possit.

VII. Quantumuis igitur quibusdam in partibus difficilis sit, absolute tamen CLARA lucidaq; dicenda est. Licet enim nonnulla etiam fidei dogmata Quibusdam in locis obscure proponat, alibi tamen sæpiusq; clariùs eadem explicat.

VIII. Argumenta huius nostræ sententiæ sunt isthæc.

I. Sumitur ex ijs dictis, quæ Scripturis Prophetiis ingenitæ claritatis, quin & *συνάμειως φωτιστικῆς* elogium tribuunt, velut

Psal. 19, 8 & 9. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Præceptum Domini lucidum (purum) illuminans oculos.*

Psal. 119, 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & Lumen semitis meis. Hoc verbum (inquitibi Augustinus) est, quod scripturis sanctis omnibus continetur. Ibid. v. 130. Apertio (ostium) verborum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.*

Proverb. 6, 23. *Lucerna mandatum (est) & Lex Lux. Ibid. 30, 5. Omnis sermo Dei purgatus. Vide quoq; Prov. 14, 6.*

2. Petr. 1, 19. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, quem benè facitis quòd attenditis, velut Lucernam splendentem in obscuro loco.*

Quibus in locis Scriptura V. T. Lucerna Lucidaq; dicitur, quòd

*Argumenta pro
Scripturæ per-
spicuitate.*

in se lucem habeat, aliosque illuminet: ac non illuminaret, nisi tam clarè luceret & loqueretur, vt intelligi facilè aspicique posset.

IX. Non malè huc refertur dictum Deuter. 30, 11 & seq. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, Occultum (absconditum) non est à te, neque longinquum, &c. Sed propinquum est tibi verbum hoc valdè, in ore tuo, & in animo tuo, ad faciendum illud.*

Addunt alij & ista Esai. 45, 19. *Non in abscondito locutus sum, &c. & 2. Samu. 22, 31. Sermo Iehouæ purgatissimus.*

X. Hinc Argument. II. pro N. T. perspicuitate exurgit, nempe istud: Si Scriptura V. T. lucida est, multò magis Scriptura N. T. clara erit, de cuius singulari luce tot à Prophetis edita sunt vaticinia: vide Esai. 2, 5: 11, 9: 30, 26: & 60, 2 & 3. Jerem. 31, 24. & Mal. 4, 2. Vnde Apostoli non modò morùm, sed & doctrinæ ratione *Lux mundi* dicuntur Matth. 5, 14. Novumque fœdus libro aperto comparatur Apocalyp. 5.

XI. Argu. III. deductione ad absurdum sic conficitur: Vel non potuit Spiritus S. apertè loqui, vel noluit. Si non potuit, impotens: si noluit, instar Apollinis Delphici inuidus & flexiloqu⁹ est. Vtrumque dictu à σέβης.

XII. Argum. IV. à fine Scripturæ, quam Deus ideò edidit, & indifferenter à quibusuis, etiam (quos sic vocant) Laicis legi voluit (vide quæst. 3. thes. 24. & seqq.) vt eam intelligerent, & ceu fidei vitæq; normam sequerentur, Rom. 15, 4. *Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et 2. Timoth. 3, 16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, &c.* Hoc fine Scriptura prorsus excidet, si tam obscura est, vt intelligi nequeat. Vide quoque Deuter. caput 31, ver. 9, 10, 11, 12 & 13.

XIII. Argum. V. ex 2. Corint 4, 3 & 4. vbi Euangelium non nisi excæcatis & pereuntibus, adeoq; per accidens opertum, per se verò φωτισμός τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ, illuminatio gloriæ Christi dicitur.

XIV. Argu. VI. ab exemplo & testimonijs S. Patrum, qui non modò sententias suas ex Scripturâ, ceu suis scriptis clariore probarunt, sed & sumam Scripturæ perspicuitatem passim asseruerunt.

Iren. l. 2. c. 46. Vniuersæ Scripturæ in aperto & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possunt. Vide eundem libro 3. c. 2 & 15.

Clemens Alexandri. in adhort. ad gent. Nullis celatum est verbum: Lux est communis: omnibus illucescit hominibus.

Iustin.

Justinus in dialogo cum Tryph. Scripturas auditione tantum, non explanatione aliqua egere dicit.

Lactant. Instit. lib. 6. c. 21. Num Deus & mentis & vocis & lingue artifex disertè loqui non potest? Imò verò summâ prouidentia carere fuco voluit ea, quæ diuina sunt, vt omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur. Vide eundem libro 1. cap. 1.

Basil. princip. Comment. in Psalm. Omnis Scriptura à Spiritu S. idè conscripta, vt velut è communi medendarum animarum officinâ vniuersi mortales quisque pro morbi sui ratione medelam deligeremus.

Hieron. in Psalm. 86. col. 187. tomo 8. Sicut scripserunt Apostoli: sic & ipse Dominus: hoc est, per Euangelia sua locutus est, non vt pauci intelligerent, sed vt omnes. Vide eundem in Naum 3.

Epiph. Hær. 69. col. 349. C. Bas. Añ. 1560. Omnia sunt clara & lucida, & nihil contrarium in diuina scriptura. Et Hær. 76. col. 412. Omnia clara sunt in diuina Scriptura his, qui pia ratiocinatione diuinum sermonem adire volunt, & non diabolicam operationem in seipsis conceperunt.

Chrysost. in Genes. homil. 3. & 12. Scripturam ad nostram se tenuitatem & aurium infirmitatem demittere ait. Ibid. homil. 13. Perpetuus Scripturæ mos est, propter nostram utilitatem humanis vti verbis. Idem in 2. Thessal. 2. homil. 3. Omnia clara sunt & plana, ex Scripturis diuinis. Πάντα τὰ ἀναγκαῖα διήλα, σαφή, εὐδέα. Vide eundem in Gen. hom. 35: in Math. homil. 1. & 44. in Iohan. homil. 1. de Lazaro homil. 3. in Luc. 16. Præfat. epist. ad Rom. & passim alibi.

Augustin. li. 2. de doct. Christ. c. 9. In ijs, quæ apertè in Scripturâ posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque viuendi. Vide ibidem c. 6.

Idem epist. 3. ad Volus. col. 15. tom. 2. Modus ipse dicendi, quo sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris, sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Tracta. 21. in Iohan. tomo 9. col. 189. Quare dicta sunt, nisi vt sciantur? Quare sonuerunt, nisi vt audiantur? Quare audita sunt, nisi vt intelligantur? Vide eundem in Psalm. 8. de oper. Monach. c. 9. tomo 3. & de utilitate credendi c. 6. tomo 6.

Fulgent. Sermon. de Confessor. ab init. In verbo Dei abundat, quod perfectus comedat, & quod paruulus sugat. Ibi prorsus ad salutem consulitur Vniuersis, quos Dominus saluare dignatur. Ibi est, quod omni ætati congruat.

Gregor. Præfat. in libr. Moral. ad Leandr. ca. 4. *Diuinus sermo habet in publico, vnde paruulos nutriat: seruat in secreto, vnde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluuius planus & altus, in quo & agnus ambulet, & elephas natet.*

Vide quoq; Origen. in Exod. homil. 9. Ambros. epist. 7. Cyrill. contr. Iulian. l. 7. & 9. & Bernhard. Serm. de Verb. lib. Sapient.

ANTITHESIS PONTIFICIA.

XV. Discrepant hîc Papistarum sententiæ. Nonnulli enim Scripturam IN SE, & multis in locis claram esse verbotenus asserunt, causamque obscuritatis in ipsos homines transferunt, vt Th. Aquin. in 2. Cor. 4. 3. Caietanus, Catharinus, & alij. Sic Hofius l. 3. de auctori. Script. p. 521. tomo 1. *Prophetici sermonis quin PLERAQVE dilucida sint, quis est qui eat inficias?*

Bellar. l. 3. de verbo Dei. c. 2. col. 168 C. *In N. T. etsi multi non intelligant sententias Scripturarum, intelligunt tamen ipsa mysteria redemptionis etiam rustici & mulieres.*

Costerus in Enchiridio p. 51. *Multa in S. literis esse perspicua, negandum non est.*

Tann. disp. thes. 70. *Cum Scripturam (quæ IN SEMAXIME est conspicua) obscuram dicimus, non aliquod in ea vitium notamus, sed summam eius excellentiam, nostræque mentis cæcitatem profiteamur.*

Idem habet Gregorius de Valentia lib. 5. Anal. c. 2.

Pistorius in Begweiser Scripturam ait esse Solem aliquem spiritualem, quo non possit formosior in terris lux inueniri.

XVI. Sed versipelles sunt pleriq; , maximè recentiores, qui cum sibi ipsis, cum alijs suæ farinae hominibus contradicunt. Nam

Hofius loco dicto: *Datâ operâ, inquit, Deus vaticinia de Christo non quibuslibet esse perspicua voluit. Idem p. 640. vnum dicit esse expressum Dei verbum, nempe Dilige, quod abundè ad salutem sufficiat.*

Bellar. l. dict. c. 1. *Scripturam tum quoad res, tum quoad modum dicendi obscurissimam esse asserit.*

Costerus admodum blasphemè p. 22. *Scriptura chartis mandata patitur se quoquo versus inflecti, diduci & distrahi. Et p. 44. Scripturæ sunt litera mortua scripta atramento in membrana vel charta, quam si quis vel truncare velit, vel torquere, vel prauis expositionibus corrumpere, nihil sentiat: patitur enim se quauis interpretatione trahi.*

Tann. thesi 61. *Scripturam sine interpretatione verbum mutum, & errorum occasionem esse dicit.*

Pistor.

Pistor. im Wegw. p. 41. 45. & 52. Scripturam sine Ecclesiæ (Rom.) interpretatione meras tenebras & errores (gar vnd lauter duncfel vnd Zriführung) esse contendit. Annon hoc est ipsi Scripturæ & auctori eius Deo vitium impingere ?

Sic Censura Colonie. p. 20. Nulla vnquam reperta fuit hæresis, quæ non Scripturis fuerit vsa: imò vt audentius dicamus, quæ non ex Scripturis occasionem acceperit.

Cusan. epist. 2 & 7. ad Boëm. Scripturas ait ad tempus adaptatas, & nunc hoc nunc illo modo interpretandas, sensumque earum mutari, prout mutatur currentis Ecclesiæ ritus.

Pigh. l. 1. Eccles. Hierarch. c. 2. Sunt Scripturæ veluti plumbea Lesbicæ ædificationis regula, quæ ad sensum, quem quis antè secum præsumpserit, accommodari se facile patiantur. Idem controue. 3. de Eccles. Sunt Scripturæ velut cereus quidam nasus, qui sicut horsum illorsumque facile se trahi permittit: ita & illæ se flecti, duci, atque etiam in diuersam sententiam trahi, accommodarique ad quiduis patiuntur.

Eodem epitheto (Nasi cerei) Censura Coloniensis dialo. 4. pag. 112. Scripturas conspuit.

Gregorius de Valentia l. 5. Anal. c. 2. Sententia Scripturæ de maximis etiam fidei quæstionibus, ita obscura & difficilis ad intelligendum est, vt homines etiã benè literati in eius inquisitione facillimè hallucinentur.

Ibidem. Pronunciat (Petrus) simpliciter, Scripturam intellectus esse difficilem: ac Ideò (propter difficultatem) facile deprauari posse.

Item: Sentiunt (cacolyci) Scripturam, si per se & ex se quidem sola, semoto Ecclesiæ lumine, quo ipsa illustratur, consideretur, difficilem ad intelligendum, eatenusque obscuram esse.

XVII. Denique cõmunis est Papistarum lucifugarum coccygnus, Scripturam etiam dogmatum ratione tam obscuram esse vt populus ab omni eius lectione arcendus sit. Vide Hof. loc. dict. Censor. Colon. contra Monhem. Andrad. lib. 2. orthod. explic. Lind. l. 3. Panopl. c. 6. Staplet. l. 10. c. 2. & alios.

XVIII. Taceo nunc aliorum blasphemias, qui Scripturam non modò ambiguam, dubiam, flexiloquam, & alutæ instar esse dicunt, sed & Theologiam atramentariam, atramentum sutorium, literam mutam & mortuam, litis materiam, sphyngis ænigma, Protagoræ principia, Sibyllæ folia, librum hæreticorum, ex quo hæreses oriantur, surdum & mutum mortuumque Iudicem, gladium Delphicum ob inopiam fabrica-

B5

sum,

tum, &c. contumeliosissimè appellant, velut Henr. Blyssem. in Defens. Assert. de Eccles. p. 53. Sor. in Schol. de S. Script. & Eucharist. & Defens. 3 Coster. in Enchir. tit. de S. Script. Papist. in Coll. Wormat. Peres. Hof. de expresso Dei verbo. Peltan. disput. dict. sect. 3 th. 5. Canus l. 2. Locor. p. 34. Turrian. &c.

Argumentorū
Pontificiorum
Elenchus.

XIX. Porro argumenta, quæ ex Scriptura & Patribus afferunt, partim de hominibus excæcatis loquuntur, partim hoc tantum evincunt, quod QVÆDAM in Scripturis obscura sint; quod ipsum nos concedimus, quicum B. Luthero (Præfat. in Psalm. tomo 2. Latin. Ienen.) impudentissimæ temeritatis eum arguimus, qui profiteri audeat, V N V M Scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.

XX. Quod verò ex hæresium multitudine Scripturam obscuritatis arguunt (Hosius de expr. Dei ver. Greg. de Valent. l. 5. Anal. c. 2. Bellar. l. dict. c. 1. col. 163. & 167. Steuart. de Coll. Rat. p. 42. Tañer. & alij) ψηλαφητὸν dolum Accidentis & causæ committunt, & ἀπὸ τῆς δοκεῖν ad τὸ εἶναι (ab opinione hominum ad ipsam veritatem) crasse argumentantur. Scriptura enim IN SE clara semper est & manet, quoad ea, quæ ad salutem necessaria sunt; accidit verò illi, ut sinistrè intelligatur, & ad errores detorqueatur. Cujus rei causa est non ipsius Scripturæ obscuritas, sed vel iudicii humani imbecillitas, vel Diaboli & hæreticorum cæcitas, improbitas & curiositas, qui tenebras magis quàm lucem amant Iohann. 3, 19. & Scripturæ quasi tormenta adhibent, quibus à genuina sententia distorqueatur, ut illud ipsis loquatur, quod ante lectionem præsumpserunt intelligendum 2. Petri 3, 16. Nam quia Scripturam delere non possunt, pervertere illam quærunt, ut ait Augustinus serm. 49 de verbo Dom. super Iohan. Vide quoq; Chrysost. in 2. Corinth. 10. homil. 21. Non igitur Scriptura ipsa propter hominum abusum (qui non est rei proprium) accusanda, sed ab eo vindicanda est, Neque enim res propter abusum, id quod est, esse desinit.

PORISMATA.

1. Papistæ nostram de Scripturæ claritate sententiam vel non intelligunt, vel si intelligunt, calumniosè traducunt, dum τὸ κρινόμενον constituunt, Num OMNIA in Scripturâ CUI VIS etiam rudi homulo perspicua sint, vel (ut Bellarminus) Sintne Scripturæ sacræ per se facilissimæ atq; apertissimæ, an verò interpretatione indigeant?

2. li-

2. Idem veteres hæreticos imitantur, de quibus Irenæus l. 3. c. 2. refert, quòd cum ex Scripturis arguuntur, in earum accusationem conuertantur, quasi non rectè habeant, neque sint ex autoritate, & quia varie sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas, &c. Et Augu. de opere Monach. c. 9. tomo 3. Vbi aliter eam secundum suam sententiam interpretari non possunt, etiam clara obscura esse respondent, quia & praua & peruersa dicere non audent.

3. De Scripturæ obscuritate idè queruntur, quòd **PLERA QVE** *Georg. Gotthar. in Apol. aduers. Heerbr. p. 49.* fidei suæ dogmata expressis verbis in Scriptura **NON** contineri, eiusque autoritate suos fabularum centones denudari, valideq; refutari cer- cò sciant. Hic enim est ille liber (inquit Consil. Episcoporum Bono- niæ congregatorum de Rat. stabiliend. Rom. Eccles. Año 1553.) qui præter cæteras hæc nobis tempestates & turbines concitauit, quibus propè abrepti sumus. Et sanè, si quis illum diligenter expendat, deinde quæ in nostris fieri Ecclesiis consueuerunt, singula ordine contempletur, videbit plurimum inter se dissidere, & hanc doctrinam nostram ab illa prorsus diuersam esse, ac sæpè **CONTRARIAM** etiam, &c.

4. Dogmatum Papisticorum ratione Scripturam non obscuram modò, sed obscurissimam esse facile concedimus.

5. Quæ in Papistis tam diu fuit hodieque est ignorantia, non Scri- pturæ obscuritati, sed eorum peruersitati & præconceptis opinionibus imputanda est 2. Thessal 2, 10 & 11.

6. Scriptura Patrum scriptis clarior est. (ligitur.

7. Scriptura etsi clara est, non tamen ab omnibus æqualiter intel-

8. Fidei mysteria naturâ quidem nobis ignota, sed in Scriptura perspicuè reuelata sunt.

9. Basilius, Nazianzenus, Hieronymus, Chrysostomus aliique Patres non idè tot años S. literis incubuerunt, vt quæ ad salutem ne- cessaria sunt, discerent, sed vt ad Ecclesiam docendâ se compararent.

10. Aniles nugæ sunt (de quibus Costeri Enchir. tit. de Script. p. 53.) quòd Chrysostomus à Paulo, Gregorius Papa à Spi- ritu sancto in specie columbæ institutus sit.

F I N I S.

Coll. diss., A. 239, n. 18.